



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Militarivm Ordinvm Origines, Statvta, Symbola, Et
Insignia, Iconibus, additis genuinis**

Mennens, Frans

Maceratae, 1623

Ordo Eqvitvm S. Saluatoris in Aragonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10718

quasi alius, & proprius, enumeratur, docentibus id Bullis Pontificum.

Magistro, & fratribus militiae Hospitales Sancti Thoma Martyris Camartens. Accon.

Item in Bulla Alexandri IV.

S. Thoma Magistro, & fratribus Hospitalis S. Thoma Martyris Acconen. In Bulla Ioannis XX.

Ordo Sancti Protulit, & alios Equestres ordines *Blasij*. Palestina, quorum alter *Sancti Blasij* Ordo pœni- nūcupabatur, dictus de *Santa Maria*, tentia *SS.* alter *Penitentia SS. Martyrum*, cuius *Martyrum* instituti fratres se vidisse affirmat Hieronymus Romanus, Crucem sci- *Eorum insi* licet rubram præferentes, & D. Augu- stini regulam profitentes. De quibus & mentionem faciunt regulæ, seu pra- Etica Cancellariae Romanae.

O R D O E Q V I T V M S. Salvatoris in Aragonia.

Anno circiter 1118. Alfonsus Hispaniarum Imperator dictus, Rex Nauarræ, & Arragoniæ itemque Legionis Castellæ, & Toleti ex parte uxoris Vrracæ, quo Mauros Cæsar-augusta, totaque Arragoniæ ditione facilius deturbaret; cum nihil nō virtute superabile censeret, & quo maiores difficultates propositas intelligeret; eò maius re bene gesta decus, & feliciores deinde successus fecuturos consideret: Ex proceribus tam Hispanis, quam Gallis, qui operam suam (teste Belloyo primarios ex ijs Duces enumerante) sèpissimè Christianis probarant, in Vrbis Montis Regalis post captam Calataiubam, hostibus fidei finitimam, Sodalitium Equestre S. Salvatoris, quod virtutis præmium foret, constituit. Et adimitationem militum Templariorum censu opimo, & prædijs dotauit, quibus opitulantibus feliciter ei adeo institutio illa cessit, vt Mauri omnes toto illo tractu, quo Regnum Arragoniæ hodie circumscribitur, anno 1120. extirpari sint, ipseque Rex nomen Pugnacis, seu Præliatoris adinuenerit,

quod vices, & nouies collatis signis manus cum hoste conseruisse feratur, felici semper successu, & triumpho semper ducto exceptis duobus prælijs posterioribus.

O R D O E Q V I T V M de Monte Gaudio in Syrra, qui in Regno Castellæ dicti sunt de Monfrac, in Catalunia verò, & Valentia de Mongoia.

Ordinem Equestrem Mótis Gaudi in Regno Hierosolymitano originem sumpsisse tradit Hieronymus Romanus, eadem ipsa tempestate, qua Principes Christiani in Syria rerum potiti sunt, à loci extra urbem Hierosolymorum siti (vbi militia illa inchoata) etymo, astumpta appellatione. Approbationis diploma submisit Alexander III. anno. 1180. quod in archiuo Calatravensi adseruari ait Franciscus Radefius, opidaque, & prædia, quibus huius ordinis Equites, ob nauatam Terræ Sanctæ recuperatae fortiter operam, donati sunt, ibidem exprimi, quæ, & ipse in Chronicis suis militaribus enumerat. Studio quidem rei bellicæ, & pietatis, cæteros in Syria Equites adeò audabili progressu æmulati sunt, vt multis à Christianis principibus possessionibus austi, etiam in Castellæ Regno (vbi Equites de Monfrac à præcipua conuentus sede appellati sunt) opimos census, & prædia obtinerent, qualia & ipse Alfonsus X. in tractu Maganensi ijs attribuit, hisce verbis, *A vos Don Rodrigo Goncales Maestre de Monfrac, de la orden de Monte Gaudio &c.* Id & ex alijs monumentis, quæ in dicto archiuo reperiuntur, colligitur, hoc præuenire titulo: *Hæc est memoria del hauer que perdieron los freyles de Mongoia y los castellos, que les tomaron los freyles del Templo, Alhambra, y aye el cuerpo del Conde Don Rodrigo, Malvezino, Escoriola &c. In Ca-*

Equites de Monte gaudio.

Equites de Monfrac.